

Visual Library Portal

Digitalisierung von Drucken des 16. Jahrhunderts

**CARMEN DE || ORIGINE ET SIGNIFICATI= || ONE
DEPOSITIONIS, QVA IV= || uentus in Gymnasijs
initiatur. Aca= || demiae Vitebergensi dedica= || tum.
Autore Luca Schaubio, || eiusdem Academiae**

...

Schaub, Lukas

Wittenberg, 1552

VD16 S 2361

66 35

CARMEN DE ORIGINE ET SIGNIFICATI-

ONE DEPOSITIONIS, QVA IV-

uentus in Gymnasijs initiatur. Aca-

demiæ Vitebergensi dedica-

tum. Autore Luca Schaubio,

eiusdem Academiæ De-

positore.

AD LECTOREM EPIGRAMMA

F. C. De.

Qui uolet Aoniam iuuenis conscendere culmen,

Castrâq; Musarum miles honesta sequi.

Firmet ad immensos animum duosq; labores,

Quæis sine de studijs præmia nulla feret.

Nam mala phœbeas gustare uolentibus artes

Multa domi uenient multa ferenda foris.

Hæc animo tolerante pati qui nolet, abito,

Pars quota sacrati non erit, ille Chori.

Ergo bonis iuuenis qui dat sua nomina Musis,

Et studijs uitam consecrat ipse suam.

Ingenij examen uarium subit, inde probatur

Quos animo mores ille latente tegat.

Quo soleat talis fieri exploratio ritu,

Quasq; habeat causas commoda quæq; ferat.

Schaubius hic docto descriptum carmine Lucas,

Ante oculos posuit grex studiose tuos.

Hoc igitur paruum lector pernosce poema,

Inuenies aliquid quod didicisse iuuet.

VVITEBERGÆ.

Anno. 1552.

(Kreuter)

VD 16 S 2361

CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ

Vitebergensi

S D.

Inclyta, Leucoræ splendor celeberrimus Urbis,
O schola palladij lausq; decusq; chori.
Si uacat, & solita curarum mole leuaris,
Hæc mea pacifica carmina mente legas.
En celebrem tenui descripsi charmine ritum,
Quo sacra nos Latij imbuunt unda Deis.
Hoc, ut discedens gratæ signacula mentis
Exhibeam, titulo Nominis edo tui.
Diuini nobis monstras oracula uerbi,
Et uerum magna sedulitate DEVM.
Tu lapsas Stygio Musas educis ab orco,
Cæcroeisq; rigas pectora nostra fauis.
Respicias igitur placido præsentia uultu
Carmina, non meritis æquiparanda tuis.
Sed tantum memoris meriti referentia pignus,
Auspicijsq; anni commemorata noui.
Candida spectatur donis plarunq; uoluntas:
Sic subeat grati muneris illa uicem.
Viue diu, semperq; uale, diuina gubernent
Fœlici cymbam sidere fata tuam.

Lucas Schaubius.

CARMEN DE ORIGINE ET SIGNIFICATIONE
Depositionis etc.

CARDINE nuper equos Titan reuehebat eòo,
Illustrans radijs proxima rura suis.
Ipse graues tristi pellens è pectore curas,
Solut ad Albiaros expatiabar agros.
Scilicet ut uiridi carpens in littore passus,
Venæ explorarem munera parua meæ.
Ne primis forsan si non moueantur in annis,
Squalidus obducat Cynthia plectra situs.
Dumq; diu mecum defixa cogito mente,
De causa nostræ conueniente Lyrae.
Ecce sub umbriferæ consistens tegmine quercus,
In Latonigenas incido forte Deas.
Obstupui: lætas ducebat Apollo choreas,
Tangebatur solitas Calliopæa fides.
Conabar tacite ceptos reflectere gressus,
Concita ne sacrum turbet arundo chorum.
Verum ut se facilem conanti præbet Apollo,
Gaudet & amplexu sacra caterua pio:
Sic etiam postquam faciles uidere Camenæ,
Amplecti Lyricos pectora nostra sonos,
Protinus arreptum me coniunxere choreis,
Ac operæ signum sponte dedere suæ.
Tota cohors inquit: nimum sepone pudorem,
Ah ne fautrices iam uereare tuas.
Exponas nobis tua quid præcordia tangat,
Forlitan es nostri captus amore gregis.
Annuo, quidq; mea pertexo, mente uoludem,
Sustentans animum specq; metusq; meum.
Musarum, dico, sacros inuisere campos,
Et Vatum libuit plectra ciere mihi.

A ij Sed

Sed concinnus abest fundendi carmina neruus,
Materies uenæ commoda nempe meæ.
Nunc igitur faustis quid possim ducere filis,
Sollicita dulces mente reuoluo Deæ.
Nam mihi non tutum iuueni fati esse uidetur,
Res ultra uires sustinuisse suas.
Respondent: sapienter agit qui cogitat illa,
Et si uis nostrum suscipe consilium.
Ut plerunq; solent tractare fabrilia fabri,
Verbaq; de rebus neçtere quisq; suis.
Materiam sic & scribendi præbeat æquam
Officium, quo nunc fungeris ipse, tuum.
In quo quisquis enim longis uersatur ab annis
Præ reliquis sanum dicere quemq; decet.
Præterea docilis cornu uelata iuuentus,
Cum nostra ex uarijs præterit ora locis.
Et primos sacri cœtus affectat honores,
Qui ueniunt lepidi Depositoris ope.
Certatim quærit, quænam sit moris origo,
Cornua quo iuuenes linquere torua solent.
Expetit & merito, certas cognoscere causas,
Propter quas hic mos instituendus erat.
Alter ait: quare rebus celebratur ineptis?
Ridiculus forceps atq; securis adest.
Quo postrema salis tendit conspersio sacri?
Quid iuuat in nitidas fundere uina comas?
His aiunt Musæ, crebris succurre querelis,
Et soluas uersu sæpe petita breui.
Materies erit illa tuis nam uiribus apta,
Muneris & facies pro ratione tui.
Musarum uotis igitur monitisq; benignis,
Hos elegos cœpi scribere motus ego.
In quibus ut prompte caris gratarer amicis.
De ritu nostro dicere pauca libet.

Laudibus

L Audibus illiciti uarijs celebrantur amores
 Gentiles ritus carmina sæpe ferunt.
 Quos tamen obseruans gentilis prisca uetustas,
 Aeternum toto læsit in orbe Deum.
 Impia dum rabidos nudauit turba Lupercos,
 Arcadici celebrans turpia festa Dei.
 Sæpe cruenta uit ferali cæde penates,
 Funesto uiridem sanguine sparsit humum.
 Fœdera uirginei uiolauit casta pudoris,
 Legitimumq; uago polluit igne thorum.
 Sic quoq; Thyrsigeri sacratum tempus lacchi,
 Infandi sceleris fons & origo fuit.
 Hi ritus docta cantantur ubiq; poesi,
 Et longa noti posteritate manent.
 Cur non & nostrum liceat describere ritum,
 Qui ueterum ludis præstat ubiq; uagis?
 Est iter ad memores hic mos Heliconis alumnas,
 Hoc licet ad sacras scandere calle Deas.
 Vt sancta fuit ueteri memorabilis urbi
 Lex, etiam prisca commemorata libris.
 Ne quis qui uarijs gressus torqueret ab oris,
 Signaret pedibus liber in urbe uiam.
 Ni prius in porta per quam transibat in urbem,
 Arma quibus tutum est deposuisset, iter:
 Sic etiam cupiens ad sacram scandere sedem,
 Qua florent pulchræ culta Lycæa scholæ.
 Cum uenit ad gratæ Musarum limina portæ,
 Hoc ritu iuuenis deijcit arma prius.
 Arma quibus turbatur agris pax optima rerum,
 Dum tradit cineri cornua rasa leui.
 Est igitur ritus multis seruatus ab annis,
 Dignus Castalijs qui celebretur a quis.
 Pollice foelici fusum uersare Camenæ,
 Præsto erit auxilio dexter Apollo suo.

Origo Dēa
positionis.

Ac primum quæ sit moris dicemus origo,
Mox eius finis subiiciendus erit.
Denique quem referant in ritu singula sensum,
Et quid quæque notent nostra Thalia canet.
Mos fuit insignis ueterum, qui sacra colebant
Musarum, sicut nos monumenta docent.
Atque fuit primum doctis celebratus Athenis,
Urbs magni quondam quæ caput orbis erat.
Scilicet ut Musis nulli adnumerentur honestis,
Palladio fierent dignaque membra choro.
Ni prius Aonidum delecta columna sororum,
Quique gubernabant incluta sceptrâ scholæ.
Illorum mentes, studium, moresque probassent,
Lar queque naturæ semina nota forent.
Quapropter statuere uirum doctumque uasumque,
Omnia qui in membris nosceret illa nouis.
Hic quo culpatos posset cognoscere mores,
Et certis animos ante probare modis.
In prima specie iuuenes tractauit amanter,
Addidit & lætos cum grauitate iocos.
Sarcasmos tamen interdum subiunxit amaros,
Inque nigram nubes lucida uersa fuit.
Et uarijs uexando modis exercuit illos,
Iam tristis uultus iamque serenus erat.
Sic incompositæ cognouit semina uitæ,
Nam sic se mores prodere sponte solent.
Præterea specimen potuit sic sumere mentis,
Sic tacitas uires exerit illa suas.
Est quoque compertus num quid uirtutis amore,
Rebus in aduersis mens tolerare queat.
Ac dum delusit miseros, derisit & ussit,
Hic qui nunc nomen Depositoris habet.
Por tulit in medium simul & problema facetum,
Non tamen ipsorum uerba habuere locum.
Omnia

Omnia uersutis licuit conuertere uerbis,
Nil erat optatum tunc tetigisse scopum.
Hoc, ut doctrinae fugiat persuasio, fecit,
Exitio studijs quæ solet esse bonis.
Omnia se primum iuuenes sibi scire uidentur,
Et fallax mentes decipit umbra leues.
Postquam sic iuuenes sapientum turba probauit,
Ac illi quiduis consulere boni.
Doctrinae specimen docti sumpsere Magistri,
Ut possint turbæ consuluisse rudi.
Inq; album tandem recitatis legibus, illos
Scripserunt celebris, uoce precante, scholæ.
Sic Cynicus cupiens pueri cognoscere mentem,
Cum peteret uitæ uincula dura senis.
Per magnum iussit pernam portare theatrum,
Sic tamen ut cunctis conspicienda foret.
Præcessitq; gradu puerum strepitante Sinopeus,
Cernens an posset dura subire iuga.
At puer impatiens, claro de stemmate natus,
Hoc sibi supremum dedecus esse putat.
Veste tegens igitur pernam portare recusat,
Spernit & impositum quod sibi munus erat.
Respondet Cynicus: Tu non me dignus haberis,
Deq; scholæ puerum iussit abire solo.
Vidit enim pueri naturam prorsus ineptam,
Quæ possit uitæ tale subire genus.
Pythagoras annis sic quinque silentia primis,
Fertur discipulis imposuisse suis.
Effigiem nostri ritus hic cernis apertam,
Quo sacra nos Clarijs consecrat unda Deis.
Inde procul dubio lex Depositoria sumpta est,
Certior haud alijs extat origo locis.

Vt uero ritum fanciuit prisca uetustas,
 Ob causas supra quas mea Musa dedit.
 Sic usum nostri seruarunt propter eundem,
 Ac eadem nostro tempore causa subest.
 Nam mores animi, studium nouisse priusq̄,
 Suscipimur, multum sæpe iuuare potest.
 Etsi Sauromatis, uulgo, rudibusq̄ beanis,
 Verborum ludus prorsus habetur iners.
 Ac ideo furtiua cohors se ducit ab illo,
 Et cunctis æquum ferre recusat onus.
 Id tamen an merito possint sibi ducere laudi,
 An uero potius, nescio dedecori.
 Durus eques gaudet consueto more probari,
 Ac armis certo dimicat ante loco,
 Vt uiuax equitis cataphracti nomen adoptat,
 Nomine quo dici primus habetur honos.
 Obseruant certum mercis consortia ritum,
 Cum socius sortem tentat inire nouus.
 Quid dicam de illis? obseruat cerdo prophanus
 Exacte morem non sine laude suum.
 Cur tu qui cunctos alios superare uideris
 Tam celebrem morem stulte beane fugis?
 Porro cum tacite moris taxantur in actu
 Virtuti quædam scilicet opposita.
 Ordine perstringam quæ significatio subsit,
 Quidq̄ sibi nitidum salq̄ merumq̄ uelit.
 Principio postq̄ mollis iam cana parata est,
 Conuiuæ & cultis discubuerunt thoris.
 Ornantur timidi squalenti ueste beani,
 Vt te, non homines, monstra uidere putes.
 Pileus horrifonis uelatus cornibus ater,
 Pondere circumdat tempora bina graui.
 Lignea dependent nigricante monilia collo,
 Diuini præstans Alcimedontis opus.

Deformis
 amictus quid
 significet.

Vas

Vas atramenti scapulis annectitur ingens,
Quod ferme superat pondere pondo decem.
Vtq; beanorum sit forma abiectior, ipsis,
Fingitur ex plumis hispida barba nigris.
Deniq; pinguntur tali squalore beani,
Vt detur monstri tristis imago feri.
Hoc fit ut expendant, hominum sit qualis imago,
Moribus haud uitam qui coluere suam.
Vt cornutus enim tali uelamine cinctus,
Consimilem monstros exprimit effigiem:
Sic homo barbaricis & prauis moribus auctus,
A monstro paucis fertur abesse modis.
Nos igitur tectè monet hic deformis amictus,
Qui cingit stupidi sordida membra gregis,
Vt uitam summo studio uitemus agrestem,
Vix dum belligeris conuenit illa Getis.
Hac ubi iam rigidos ornauit ueste beanos,
Depositorq; acies milite structa quasi est.
Nodosis grauer baculis equitante beano,
Aonium strepitu proditur ante chorum.
Dumq; suis reuehantur equis, uertuntur in orbem,
E saxis radians flammula quassa micat.
Si praesens esses dices (si credere fas est)
Magnificum bello forte redire ducem.
Et dum sic montes ingenti mole tumescunt,
Tardus & insipiens ecce beanus adest.
Quem cum Depositor multa ui traxit ad illum,
In quo est conuiuus coena parata, locum.
Incipit horribilem cum illo committere pugnam,
Et tunc cum uerbis uerba iuncta cadunt.
Verbera plura tamen patitur plarumq; beanus,
Nec ponit uiridi laeta trophaea solo.
Cum sapienter agat studio multoq; labore,
Ad risum plagas sustinet ille graues.

B Durior

Beani quare Durior hæc uitam tractatio pingit eorum,
Durius trahatur. Qui referunt Musis thura Sabæa sacris,
Atq; monet quam sit iam uita scolastica dura,
Et multis omni tempore spreta locis.
Quid nobis toto miseris abiectius orbe?
Ambigua sterili sorte uagamur agro.
Omnibus est contempta cohors studiosa iuuentus,
Ah Musis priscus quando redibit honos?
Non igitur statuas te libertatis adeptum
Esse uiam, cum iam iunctus es ipse scholæ.
Vincere Romanos & te bene posse sedendo,
Fausaq; præcipitis uela futura ratis.
Sed persuasum habeas quod proponatur imago
Totius uitæ docta iuuenta tuæ.
Sicut enim miseris illudit sæpe beanis
Depositor, blandum dissimulatq; iocum.
Mox tamen infringit colaphum, diductaq; risu
Illorum duris palpitat ora modis:
Sic mundus cultis cum Musis ludit iniquus,
Sic ridet sacras ore tumente Deas.
Sis patiens igitur cum nos ita sæcula rident,
Et redit in gremium gratia nulla tuum.
Nec studia abicias medijs quia sæpius undis,
Fluctuat Aoniæ turba nouena chori.
Omnibus æqua fuit multos fortuna per annos,
Vix eris hoc tristi tempore splendidior.
Rebus in aduersis patientia proxima res est,
Hæc placide dulcis fert graue fortis onus:
Post ea Depositor claua domitrice beanos,
Sternit, ceu truncos rustica turba graues.
Securis & dolabra. Arripiensq; suis manibus dolobramq; securimq;
Artifici postq; regula ducta manu est.
Protinus à truncis ramos præscindit aduncos,
Proh labor hic uehemens robora quanta cupit
Executis

Excudit ille mihi sudorem saepe fluentem,
Ut quoque feruentes abluat unda genas.
Tam graue stipitibus tortos praescindere ramos,
Lignaque ferrata leuia reddere acu.
Planta gradu sicut suspensio surgit in altum,
Et reddit domino munera nulla suo.
Ni prius affixis palis ducatur in altum,
Et nodus ferro tortilis ille cadat:
Sic animus pulchrae uirtutis semina monstrans,
Ad uitae fruges saepe uenire nequit.
Ni prius ad iustos morum ducatur honores,
Ut post uirtutum nomina sponte colat.
Nos igitur rigidi monet haec praescissio rami,
Qui uolumus studijs incubuisse bonis.
Ut, ceu Depositor ramos praescindit aduncos,
Deponat mores sic quoque quisque feros.
Sicut enim superat radiantes lumine stellas
Sol, roseum lucis quando peragrat iter:
Vincere debemus sic nos ignobile uulgus
Vita, quae morum dexteritate nitet.
Cornua mox etiam ferra tanguntur acuta,
Et tandem magno raso labore cadunt.
Tota fragore domus reboat recidentibus illis,
Fulminei fulmen dixeris esse Iouis.
Cornua significant animum petulanter agentem,
Dum fastu leges turbat ubique sacras.
Nec sese cogi iustis admittit habenis,
Sed gaudet fracto uiuere posse iugo.
Cum uero multi iuuenes sic tramite recto,
Ad Phlegetontaeas praecipitentur aquas.
Exitioque sibi non tantum saepe nefando,
Sed quoque sint magni fax & origo mali.
Hoc placuit nostris iuuenes maioribus, aciu,
Expressa ueluti praemonuisse nota.

B ij Ve

Cornua,

Vt prauos reprimant uigilanti pectore motus,
Nec turbent recte quicquid in orbe uiget.
Qui cupiunt igitur cum blandis uiuere Musis,
Sic ut sint Claris fama decusq; echoro.
Deponant animum saeva pra fronte tumentem,
Cornua ceu ritu deposuere sua.
Indomiti cordis motus animusq; superbus,
Res est pierijs exitiosa Deis.
Extrahit & rabidum caesia forcipe dentem,
Quo ceu saeuus aper turba maligna fremit.
Noxia uulnifico callumnia dente notatur,
Atq; ueneniferae fraudq; dolusq; gulae.
Quae cum multorum sint fons & causa malorum,
Accendunt aestu corda subinde graui.
Admonet haec duri strepitans extractio dentis,
Vitet ut hoc toto pectore quisq; malum.
Nam citius linguae succumbit uulnere laesus,
Ut tradat tristi frigida membra rogo.
Quam gladio capitis supremo uertice tactus,
Aut mala uulnus sesquipedale gerens.
Ergo memor dentis noli corrodere quemq;
Dente ueneno facticijsue dolis.
Saepe studens alios sceleratis laedere uerbis,
In thalamis sentit damna parata suis.
Haec ubi cum tardis iam sunt transacta beanis,
Ipsorum fuscas abluit unda comas.
Radit & hirsutam falcata nouacula barbam,
Compositis raro pectine rite comis.
Praescindit forfex asininas insuper aures,
Formaq; quam referunt sic asinina fugit.
His rebus tacite squallor taxatur agrestis,
Corporis efficiens sordida membra tui.
Carpitur & fragilis torpens ignauia uitae,
Dum sic forficea tangitur auris acu.

Deus

Notacula
& forfex.

Nosq;

Nosq; monet ne pigritia stertamus inertem,
 Ut fugiat munus mens generosa suum.
 Sicut enim citius, quod rerum comprobatur usus,
 Mollis in amplexus ibit amica tuos.
 Si numeras agiles erecto corpore gressus,
 Mundiciusq; habitus emicat æqua tui.
 Quam quando lentos ignauo corpore passus,
 Torques ac uestis sordet ubiq; tua:
 Sic & crede mihi faciles Heliconis alumna,
 Sponte ferent uictas in tua iura manus.
 Aspicientq; tuum mellitis pectus ocellis,
 Nectentes capiti laurea ferta tuo,
 Si fuerit depulsa tuis ignauia membris,
 Torpor & à lata mente repulsus erit.
 Quapropter caueas, huius non immemor actus,
 Ne pereat sterili mensue manusue situ.
 Vtq; queant melius torui meminisse beanum,
 Se penitus mores deposuisse feros.
 Et iam Pierijs sese addixisse Camenis,
 Cantum consuetum est addere dulcisonum.
 Quem penes effigies picta est horrenda beanum,
 Quæq; beanorum dicitur esse parens.
 Hunc detestantur sublata uoce Beanum,
 Atq; canunt paribus talia uerba modis.
 O he beanorum facies truculenta beane,
 Deuotos sacris nos fuge, linque Deis.
 Tu pierate cares, fugis & uirtutis amorem,
 In stygias igitur præcipiteris aquas.
 His etiam tandem solenni more peractis,
 Accedunt doctos membra polita uiros.
 Et specimen reddunt doctrinæ poplite flexo,
 Quo possint studijs consuluisse suis.
 Post celebres recitant illis præcepta Magistri,
 Quæ sunt laurigeræ lex reuerenda scholæ.

Cantus 8.
 Beans, etc.

Examen
 præcepta.

■ Hæc nobis primum mandat pietatis amorem,
 Et studium sacri dogmatis acre Dei.
 Deinde ut præstemus uigili mandata labore
 Quæ dant pierij sceptrâ uerenda chori.
 Postremo ut ueræ laudem uirtutis amemus,
 Reddentes Musis debita sacra pijs.
 Talia facturam si se præcepta, Magistris
 Spondet, constanti prima iuuenta fide.
 Iungitur ô suauis tandem conclusio ritus,
 Assidua passo uoce petita gregi.

sal. Sal digitis pressum sublimia fertur in ora,
 Inq; comas fragrans funditur inde merum.
 Huic parti certe mysteria maxima subsunt,
 Et propter causas addita crede graues.
 Nec dubium quin sit de rebus sumpta sacratis,
 Quas sale sunt soliti spargere siue mero.
 Utq; fuit priscis salis hæc conspersio signum,
 Victima quod præsens labe notaq; uacet.
 Nam salis absterget putridos ac credo liquores,
 Corpora ne prauo forsitan igne cadant.
 Sic iuuenes sacris iunctos hoc more Camenis,
 Quod deceat turpi labe carere, notat.
 Oderunt iuuenem signatum stigmatè Musæ,
 Et cuius uitio est fama notata graui.
 Deinde sal Ausoniæ priscorum more Sophiæ,
 Ac index dotum palladis esse solet:
 Sic artes uigili studio discamus honestas,
 Nostraq; Castalijs corda rigemus aquis.
 Deniq; sal nostros debet conspergere mores
 Candidus, abiecta rusticitate procul.

Vinum. Dulcia demulcent languentem uina calorem,
 Ac illo in læto membra uigore manent:
 Sic acri sacrum cura defende calorem,
 Accensum diua pectore luce tuo.

Quo

Quo possis animæ flammam mulcere perennem,
Ceu præfens uini uita fouetur ope.
Deniq; radices studiorum candidus acres,
Sal: fructus suaues dulcia uina notant.
Sic ea quæ uolui de ritu dicere nostro,
Absolui paucis ô schola culta modis,
Sæpius eueniunt in eo uexamine plura,
Quæ iuuenes tanq; dura parerga monent.
Ut res aduersas patienti uincere mente
Discant, ambigam cum ferit unda ratem.
Omnia sed quoniam longum recitare futurum est,
Præcipuos uolui commemorare locos.
Si quid erit forsan nigro carbone notandum,
Excusent sæcli tempora dura mali.
Non sese faciles præbent hoc tempore Musæ,
Nec tangunt suauem Marte furente chelyn.
Carmina sunt animo sicut deducta benigno,
Sic æqua lector candide mente legas.
Nestoreos superato dies, fortuna secundis
Aspiret uentis rebus ubiq; tuis.

FINIS.



One hundred and fifty...

...the first...

...the second...

...the third...

...the fourth...

FIVE

...